

Spem concipimus certissimam, Deum benignissimum religionem suam esse conseruaturum, quia promisit; sed nostri etiam officii est, laborare, & nihil eorum omittere, quae nobis a Deo mandata sunt, maxime hoc tempore, quo insultus infidelium crebriores & apertiores sunt.

6.) Cura quoque scholarum pastoribus est iuncta, inprimis earum, in quibus praecipua religionis capita iuuenibus traduntur, in harum salute pastores magnam curam defigant. Scholae sunt antemurale contra infidelium insultus. Si enim mali impetus iuuenum, cognitione salutari, & sensu suorum officiorum reprimantur, & ad agnitionem iustitiae diuinae & iudicii extremi ducantur, haud facile noxiis infidelium opinionibus aures praebebunt. Hae bonae impressiones custodiunt eorum innocentiam & virtutem contra corruptionis laqueos, eosque disponunt ad auscultationem piorum discursuum & lectionem librorum bonorum per totam vitam vtilium. Qui scholas fastidiunt & negligunt, portam incredulitati & impietati aperiunt. Scholae, quae prouidentia diuina erectae sunt, impietatis & incredulitatis incrementa supprimunt. Necessse ergo est, vt scholae prudenter conseruentur, visitentur, & progressus, quos faciunt iuuenes in pietate, sollicite obseruentur.

7.) Qui pastores felices pietatis progressus optant, caute quoque studeant suum characterem conseruare vita pia & exemplari integrum. Mente semper recolamus, nos esse ministros Jesu Christi iusti & benigni, separati a mundi negotiis & celebrationi cultus diuini addictos; & caueamus, ne quicquam faciamus, quod nostra sancta vocatione sit indignum

B

dignum